

Band I., Nr. 277, Seite 350-352

Kaiser Heinrich V. bestätigt die Besitzungen und Freiheiten des von Erzbischof Bruno von Trier mit Einwilligung seines Bruders Poppo auf seinem erblichen Gute gestifteten Klosters Odenheim.

Neuhausen, 1122. März 5.

(Chr.) In nomine sancte et individue trinitatis. Heinricus, gratia dei imperator augustus. Omnium sanctae ecclesiae fidelium, praesentium scilicet ac futurorum, cognoscat industria, quod in regno nostro quoddam monasterium situm est, in episcopatu Spirensi, in pago Creihgowe, in comitatu Bredeheim, iuxta villam Otenheim, quod dicitur Wigoldesberc. Hoc itaque a venerando Trevirensi archiepiscopo Brunone in hereditario ipsius praedio, consensu fratris sui Popponis, constructum beato Petro et sanctae Romanae ecclesiae sub censu aurei unius annuo traditum est. Et ne unquam a posteris eius dei servicium illic destrui possit, decrevit eandem cellam cum omnibus suis pertinentiis, nunc collatis et dehinc conferendis, ab hac die et deinceps omnino non subdi nec subesse iugo alicuius terrenae personae vel potestatis, nisi solius abbatis dominationi, ordinationi et potestati; et sic tocius libertatis iure et privilegio eam adamplavit, et ob regni celestis hereditatem in Christo stabiliter sublimavit. Ad haec etiam, ut fratres cenobii ipsius, nunc inibi congregati et adhuc in Christo congregandi, tutius ac liberius deo in sanctae professionis securitate servire possint, huiusmodi eos libertatis munere donavit, ut quandocunque patre suo orbati fuerint, ipsi habeant liberam potestatem secundum regulam sancti Benedicti inter se, vel undecunque, si opus fuerit, abbatem sibi eligendi. Electus autem et canonice ordinatus, sine alicuius personae dominatione et impedimento susceptum ministerium iuxta posse et scire suum impleat, solique deo secundum ordinem suum liber serviat, liberamque omnino rerum sibi commissarum in Christo disponendarum intus et foris potestatem habeat. Qui si forte preter necessitatem monasterii et communem fratrum utilitatem sacrilegus, quod absit, licentiose et seculariter abuti praesumpserit instituta libertate, familia, bonis rebusque sanctuariis, et ob id fratrum premonitiones comtemnens, ad suam suorumve privatam cupiditatem et libitum temere ea dissipaverit, vel si beneficia quibuslibet personis, nisi necessariis monasterii ipsius servitoribus, praestiterit, aut si regibus, episcopis, seu quibuscunque personis consentaneus annuerit, si illi forte libertatem monasterii pervertere, sibique locum sanctum subicere attemptaverint, sive aliquid servicii statutum inde sibi fieri exegerint, mox posteri presulis predicti cum suffragio fratrum, advocati, cleri, tocius familie

et omnium bonorum rite a fratribus hunc accusatum, iusteque ab eis convictum, dignitate sua abici perficiant, aliumque iuxta predictam libertatem et sancti Benedicti regulam fratres sibi eligant, et absque omni contradictione pro illo substituunt. Concedit etiam idem pontifex praefate cellae, advocatum aliquem de posteris suis fieri, si tamen loci ipsius abbas cum consilio fratrum talem inter eos invenerit, qui non pro terreno commodo, sed pro eterna mercede sollicitus et studiosus bona et constitutam monasterii libertatem et iusticiam defendere voluerit. Sin autem, aptum et utilem undecunque sibi placuerit eligat. Hic denique abbate petente a rege accipiat bannum legitimum, et ter in anno, si necesse fuerit, in villam adiacentem, aut ubicunque vel quando abbati placuerit, invitatus ab illo veniat, et ibi placitum iustum pro causis et necessitatibus monasterii rite peragat. Nullum autem aliud servicii ius aut beneficii sibi pro hoc concedi recognoscat, nisi tertium bannum et consuetudinariam iustitiam et legem quam ceteri advocati in aliis liberis monasteriis habent super fures, proterviam et censuales, et cetera talia, et in illis trium placitorum diebus in unoquoque unum maltrum de frumento, et unum friskingum, et unam amam de vino et cetera ad haec pertinentia. Preterea constituit quod nisi abbate volente et advocante, bona et loca monasterii suis frequentiis temerariis et sine causa non adeat vel attingat, nec presumptuosus in eis placitum quodlibet, vel pernoctandi licentiam habeat, nec subadvocatum pro se faciat, nec omnino aliquam absque ratione calumniam, pervasionem aut iniuriam monasterio, abbati vel familiae faciat. Si autem non ut advocatus, sed potius calumniator et pervasor monasterii fuerit, omnino potestatem habeat abbas cum consilio fratrum hunc reprobare et alium sibi utiliore undecunque eligere. Decernit etiam et hoc presul prefatus, et nos ipsius petitione firmiter statuimus, quod si quispiam posterorum suorum vel quarumcunque homo personarum I vineam, I mansum, I molendinum, vel saltem I mancipium, sive tale aliquid a supradicta cella temerarius iniuste abstulerit, ut, nostri nostrorumque successorum regia potestate coactus, III auri talenta ad erarium regis persolvat, primitus reddito ecclesiae quod invaserat. Si vero quislibet illorum, quod absit, curtim vel aliquam villam inde violentus abaligenaverit, sive manifestus invasor bonorum ipsius cellae extiterit, vel si hoc testamentum traditionis et libertatis quocunque ingenio seu argumento legum secularium pervertere vel infringere attemptaverit, C auri libras ad regiam item persolvat cameram, et reddat primitus ecclesiae quod ablatum fuerat. Ministris quoque et familiae sanctuarię eandem concedit legem et servitutem quam ceterae in regno nostro liberae abbatie habent, ut tanto fideliores prelati suis per omnia serviant. Super haec omnia presul sepedictus apostolicum privilegium acquisivit, et constituit, ut I aureus, quem byzantium dicimus, singulis annis Romae ad altare sancti Petri ab abbate praedicti monasterii in pascha persolvatur, eo pacto,

III

ut libertatis istius et traditionis statuta tanto perennius inconvulsa amodo permaneant, et ut predictum cenobium sub Romanae ecclesiae mundiburdio et maiestate securum semper stabiliatur et defendatur, si forte quispiam regum vel posterorum eius, seu quarumcunque homo personarum, quod absit, testamentum hoc ullo ingenio infirmare vel infringere presumpserit. Si autem id, quod absit, a quolibet illorum, diabolo instigante, fiet, obsecrat pontifex idem et omnino obtestatur apostolicum pontificem per Christum et per sanctum Petrum apostolum et per omnes sanctos dei et per tremendum iudicii diem, ut illum dei et sanctorum eius contemptorem et testamentoriae huius conscriptionis destructorem, nisi resipuerit, tradat omnino satanae, et anathematizet eum ac profanet a consortibus et filiis ecclesiae sanctae dei et heredibus vitae aeternae, ut et auferat deus memoriam illius de terra viventium, et deleat nomen eius de libro vitae. Tradidit autem idem archiepiscopus per manum fratris sui ad predictum monasterium predia quecunque habuit in villa Otenheim, Tiephenbach, Husen, Rehtenbach¹, Siboldeswilare², Westeim³, Bobbenwilare, Gardaha, cum mancipiis ad eadem loca pertinentibus, cum ecclesiis, fabricis, vineis, agris, pratis, silvis, pascuis, aquis aquarumque decursibus, piscationibus, molendinis, exitibus et redivibus, cultum et incultum, cum marchis et terminis legitimis, statuta quoque et iura censoria, cum omnigena integritate legitimorum suorum et utilitate et serviciis quae ullo modo inde provenire vel excogitari poterunt. Frater vero ipsius de propriis possessionibus dedit dimidiam partem Otenheimensis ecclesiae et in Wilare dimidiam cum omnibus appendiciis earum. Ut autem predictae traditionis et libertatis status et omnia predicta statuta ea ratione, qua deo et sanctis eius destinata sunt, ab hac die omni evo in Christo rata et inconvulsa permaneant, hanc cartam testamentoriam predicti presulis rogatu conscribi, manuque propria corroborantes, sigilli nostri impressione iussimus insigniri. (*Monogramm.*)

Philippus cancellarius recognovi vice Adelberti Mogontini (*Siegel.*) archicancellarii.

Data apud Nuihusen, anno dominice incarnationis MCXXII., indictione XIII., III. nonas Martii.

—

Der Textabdruck folgt dem Original.

 Das Siegel ist zur Hälfte noch vorhanden.

¹ *Rehtenbach*, unermittelt, aber vielleicht auch Rechtenbach, Öhringen, KÜN, W.

² *Siboldeswilare*, unermittelt, aber vielleicht auch Seiboldswailer, Welzheim, WN.

³ Neckarwestheim, HN.

Überlieferung und Publikationen

Lagerort:

GLA Karlsruhe

Signatur/Titel des Originals:

A 122

Überlieferung und Textkritik:

Das Datum wurde nach der maßgeblichen MGH-Edition zu 1123 verändert.

Editionen:

CARL GEORGE DÜMGÉ: Regesta Badensia. Urkunden des Großherzoglichen Badischen General-Landes-Archives von den ältesten bis zum Schlusse des zwölften Jahrhunderts, die im Drucke bereits erschienenen nach ihrem wesentlichen Inhalte mit Anzeige und kurzer Wür, S. 125 ff., Nr. 76. Hontheim: Historia diplomatica, Bd. 1, S. 483, Anm. a (Auszug). MGH DD HV, Nr. 252 (online-Version).

Weitere Angaben

Sprache:

Lateinisch

Ausstellungsort:

Neuhausen

Ortsindex:

Bretten Wohnplatz (5295)
 Bretten, KA
 Großgartach Wohnplatz (2040)
 Großgartach, Leingarten, HN
 Kraichgau
 Massenbachhausen Wohnplatz (2077)
 Massenbachhausen, HN
 Neckarwestheim Wohnplatz (2114)
 Neckarwestheim, HN
 Neuhausen, Worms, WO
 Odenheim Wohnplatz (5432)
 Odenheim, Östringen, KA
 Poppenweiler Wohnplatz (1031)
 Poppenweiler, Ludwigsburg, LB
 Rechtenbach Wüstung (25632)
 Rechtenbach, Öhringen, KÜN, W
 Rechtenbach
 Seiboldswweiler Wohnplatz (1664)
 Seiboldswweiler, Welzheim, WN
 Siboldswilare
 Speyer, SP
 Tiefenbach Wohnplatz (5438)
 Tiefenbach, Östringen, KA
 Weiler an der Zaber Wohnplatz (2171)
 Weiler an der Zaber, Pfaffenhofen, HN
 Wigoldesberc